DE PROPRIETATIBUS QUIBUSDAM SERMONIS EURIPIDEI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FREDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

CAROLUS RIECK

NEOSTRELITZIENSIS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXVII.

Virorum in tragoedia graeca principum, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, si quis comparationem instituerit totumque artis tragicae decursum intento animo consideraverit, facile inveniet, Sophoclem, ut aetate medium tenet inter Aeschylum et Euripidem locum, ita etiam elocutione medium quoddam dicendi genus esse secutum. Itaque quum in sermonis Euripidei proprietates accuratius paullo inquirere coepissem, mox intellexi, haud ita magnum et grave intercedere discrimen inter Sophoclem et Euripidem, ut qui sint aetate suppares multasque eodem tempore certatim fabulas docuerint, leviores autem, quae sane multae deprehendantur, dictionis discrepantias non temporibus aut artis praeceptis apud alterum magis expolitis tribuendas esse, sed peculiari utriusque poetae ingenio et indoli deberi. Contra Aeschylus, quum eodem fere anno mortuus sit, quo primum in arenam tragicam Euripides descendit, satis magno temporis intervallo ab illo distat eoque utitur dicendi genere, quod non tam elegantia quam granditate insigne mirum quantum abhorreat ab orationis Euripidei suavitate. Quod quidem recte perspexit Aristophanes, acerrimus profecto et prudentissimus iudex, qui quum Euripidis exemplo demonstrare vellet, quantopere recessissent suae aetatis poetae tragici a priscorum dignitate ac praestantia, non Sophoclem sed Aeschylum eum elegit, quem cum illo faceret altercantem. In Ranarum enim fabulae parte posteriore (inde a v. 830.) facit utrumque de palma poetica disceptantem et in ea, quae adversarius minus prudenter in tragoediis instituerat, verbis acerbissimis invehentem. Atque si Aristophanem sequimur, multa proprio ingenio in tractanda poesi scenica Euripides novavit: quae tamen magna ex parte non ad sermonem pertinent, sed aut in partium descriptione actionisque ordine aut in arte metrica versantur. Quae quamvis per se sint

gravia ad Euripidis et merita et vitia recte diiudicanda, quum non sint huius loci, iam missa faciamus et ad ea sola animadvertamus, quae sermonis Euripidei propria comicus dicit esse. Quaerentibus autem nobis duae ni fallor res occurrunt, quibus maximo opere Euripides valuit ad commutandum dicendi genus tragicum. Primum enim grandisonum, exaggeratum, saepe asperum Aeschyli sermonem ad vitae cotidianae usum deflexit et urbana quadam elegantia audientium animos delectavit; quod etsi per se summa laude dignum potest videri, tamen multum non potuit non detrahere de artis scenicae dignitate, praesertim quum studio populari abreptus interdum ad vulgus descendere et Melpomenen ad res minutas detrudere non vereretur. Tum vero, quod intellegebat, tragoediam de sublimitate sua deiectam et socco paene incedentem stare non posse, lumina dicendi avidius consectatus et intemperantius, fuco illam oratorio artificiose ad pristinam maiestatem revocare studuit.

Atque ut recte possimus diiudicare, quomodo de sermone tragico Euripides meruerit, quid tandem praestiterint ii, qui illum aetate praecurrentes ad poesin scenicam incubuerint, paucis opus est adumbremus. Semina igitur artis, quae iam pridem in Attica nata diu manserant inculta, ut tarde provenirent paullatimque pubescerent quum summa effectum rerum opportunitate, tum viris divino paene ingenio praeditis. Quamquam enim de inventione tragoediae multum saepe disputatum est, hoc sane constat, Thespin primum initia poesis scenicae, antea furori cuidam et insaniae permissa, in artis formam redegisse. Qui inferioris aetatis erat proximus, Phrynichus, quum magistri vestigia nimis premeret, si rem metricam exceperis, nihil novi videtur ad artem attulisse. Aeschylus demum is fuit, qui aliquanto longius progressus ad ipsam perfectionem tragoediae viam aperiret. Qui quum in illud tempus incideret, quo omnes Athenienses, victoriarum pulcherrimarum conscientia accensi, non solum ad totius Graeciae principatum concitato cursu contendebant, sed etiam quicquid erat magni et excelsi mira cum cupiditate amplectebantur, quanto maiore studio poeta divino numine afflatus pretis rebus minutis et cotidianis ad sublimia heroum facta

animum applicasse putandus est. Quare quum probe sciret, res magnas magna decere verba personasque severitatem prae se ferentes non posse uti verbis e vulgi ore petitis, consentaneum est, totam elocutionem Aeschyleam speciem praebere austeram et turgidam. Accedit quod loci melici, qui longiorem adhuc, quam par erat, ambitum obtinebant, propius aberant a dithyramborum natura et interdum verbis concepti non modo inusitatis, sed vel subobscuris. Itaque hoc praecipuum est, quod Aeschylo Euripides opprobratur, orationem illius esse ampullatam et dithyrambicam, quae pronuntiari sine pulmonum vexatione et anhelitu non possit; singula verba haud raro esse sesquipedalia, atroci quasi supercilio torva, audientibus plane ignota. Cfr. Ran. 924:

. . . . ῥήματ' ἂν βόεια δώδεκ' εἶπεν ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους, δείν' ἄττα, μορμορωπά, ἄγνωστα τοῖς θεωμένοις κτλ.

Idem autem omnes recentioris aetatis homines Graecos sensisse in audiendis Aeschyli verbis altissime exaggeratis et mirum quantum inflatis, epigramma testatur Antipatri (Jacob. del. epigr. IV, 55)

ὁ τραγικὸν φώνημα καὶ ὀφρυόεσσαν ἀοιδὴν
πυργώσας στιβαρῇ πρῶτος ἐν εὐεπίῃ
Αἰσχύλος Εὐφορίωνος Ἐλευσινίης ἑκὰς αἴης
κεῖται κυδαίνων σήματι Τρινακρίην·

Similia sunt etiam Dionis Chrysostomi (or. LII. pg. 267.) et Dionysii (περὶ δεινότητος Δημ. cp. 39 et περὶ συνθέσεως ὀνομ. cp. 22) iudicia, quae tamen exsuperat nimis severum illud Aristophanis (nub. v. 1370). — Neque solum talibus vocabulis sesquipedalibus poeta κομποφακελλοῤῥήμων (ran. 839) sublime captabat dicendi genus, sed gaudebat etiam intermixtis vocibus peregrinis apud Atticos numquam antea auditis. Praeter ea enim, quae passim apud omnes poetas tragicos inveniuntur dorismi et ionismi vestigia, teste Athenaeo (lib. IX. pg. 402) in fabulis, quas in Sicilia conscripserat, hic illic dorismi Siculi exempla recurrebant. Adde periodos saepius in immensum paene excurrentes, anacolutha et asyndeta in tam abrupto et, ut ita dicam, praecipiti dicendi genere frequentissima, pleonasmos denique ab austera illa dictione,

quae verborum ac propositionum concinnitati minime consulit, non alienos. — Talem igitur tragoediam ab Aeschylo Euripides acceperat (nam quum eodem anno, quo ille defunctus est, ipse iam fabulas docere coepisset, suo iure ab Aeschylo, non a Sophocle sese accepisse poterat affirmare). Quam quomodo ab horrida et incompta dictione ad urbani sermonis elegantiam traduxerit tumidumque genus dicendi in integram valetudinem ac sanitatem converterit, ipse expressis verbis apud Aristophanem exponit, quum de se praedicet (ran. v. 939):

ἀλλ᾽ ὡς παρέλαβον τὴν τέχνην παρὰ σοῦ τὸ πρῶτον εὐθὺς
οἰδοῦσαν ὑπὸ κομπασμάτων καὶ ῥημάτων ἐπαχθῶν,
ἴσχνανα μὲν πρώτιστον αὐτὴν καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλον
ἐπυλλίοις καὶ περιπάτοις καὶ τευτλίοισι λευκοῖς
χυλὸν διδοὺς στωμυλμάτων, ἀπὸ βιβλίων ἀπηθῶν·
εἶτ᾽ ἀνέτρεφον μονῳδίαις, Κηφισοφῶντα μιγνύς κτλ.

Quae verba quid sibi velint optime, ni fallor, perspiciet, qui paucos Aeschyli versus comparaverit cum iis, qui ex Euripidis stilo provenerunt. Quantum enim a saltu distat planities, tantum abhorret alterius austeritas ab alterius rotunditate. Namque ut iam singula perlustremus ponderosa Aeschyli vocabula talia erant, ut nonnisi tragoediam decerent, Euripidis contra longe plurima suavitate quam gravitate insigniora adeoque tum universae poesi tum vel pedestris sermonis auctoribus opportuna. Quum Aeschylus, ingenii vi atque impetu abreptus, in verborum comprehensionibus conficiendis iusto longius nonnunquam progrediatur, tam sedatum et aequale est orationis Euripideae flumen, ut ad eloquentiae forensis et iudicialis similitudinem prope accedat. Porro Aeschylus, ut erat dithyrambico paene furore, singulis enuntiatis accurate nectendis parum operae navavit; immo, quia gaudebat inconcinna quadam verborum constructione in lyricis praesertim partibus creber erat asyndetis et anacoluthis. Quanto remissior Euripides, qui, etsi illis rebus in choricis non plane carebat, numquam in diverbiis ab elegantioris sermonis praeceptis aberrabat. Denique, ut breviter comprehendam, eam omnis sermo Euripideus prae se fert speciem, ut longissime recedens a concitato et grandisono illo priscae

tragoediae genere dicendi, aequabili et placido cursu ad pedestris orationis viciniam saepissime descendat. Iam non opus erat audientibus, animum in vitae cotidianae cogitationibus defixum ad superioris mundi contemplationem extollere; haec verba erant qualibus unusquisque in contionibus utebatur et iudiciis, omnibus nota, omnibus trita. Non mirum igitur, quod hoc genus dicendi quum aliis probatum est hominibus elegantioribus, tum ipsum Aristophanem invenit laudatorem, qui acerrimus poesis Euripideae aestimator ne ipse quidem veretur profiteri, non mediocres sese ex inimici elocutione fructus percepisse. Scholiasta enim Platonis (ad apolog. pg. 93) comici fragmentum nobis conservavit (cfr. frg. Arist. 397. Dindf.): *χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ στόματος τῷ στρογγύλῳ, τοὺς νοῦς δ᾽ ἀγοραίους ἧττον ἢ ᾽κεῖνος ποιῶ.* Tragici autem minores, si ex fragmentis licet coniecturam facere, ut totis versibus exprimendis, sic etiam mutuando sermonis colore insignem Euripidis comprobant auctoritatem, etsi non plane possunt adspirare ad ipsius venustatem. Recte enim Archimelus (Jacobs. anthol. graec. II. pg. 63) hunc in modum iudicat de Euripidis imitatione:

Τὴν Εὐριπίδεω μήτ᾽ ἔρχεο μήτ᾽ ἐπιβάλλου
δύσβατον ἀνθρώποις οἶμον, ἀοιδοθέτα.
Λείη μὲν γὰρ ἰδεῖν καὶ ἐπίκροτος· εἰ δέ τις αὐτὴν
εἰςβαίνει χαλεποῦ τρηχυτέρη σκόλοπος.
Ἢν δὲ τὰ Μηδείης Αἰήτιδος ἄκρα χαράξῃς
ἀμνήμων κείσῃ νέρθεν· ἔα στεφάνους.

Conferendi sunt etiam de tota sermonis Euripidei indole Aristoteles (Rhet. III. 2. 5) Dionysius Halicarnassensis (censura vett. script. 11 et de compos. verb. c. 23 c. 26.) Longinus (cp. 40) alii.

Ille vero, quem modo depingere studui, sermo exsanguis paene et enervatus minime idoneus erat ad describendam vehementiorem affectuum vim. Itaque ne descisceret poeta a summis artis tragicae legibus atque institutis cogebatur, magnificum illum tragicae orationis apparatum ac splendida arcessere ornamenta, quibus quasi illuminaret simplicius dicendi genus et rursus affingeret tragoediae verborum quandam dignitatem. Atque si

quaerimus, quibus illud in rebus positum animadvertatur, tres potissimum invenio. Primum enim in verborum delectu et conformatione eo consilio versatus est, ut et formis dialecticis frequenter adhibitis colorem quendam vividum sermoni adderet, et verbis aut insolentia conspicuis aut plane novatis audientium animos teneret. Tum quod ad constructiones syntacticas attinet, avia et insolita miro studio consectatus est, quippe quae tritis magis idonea esse probe sciret ad animos hominum suorum admiratione imbuendos. Denique omnis generis fuco oratorio tragoediam de vera sublimitate deturbatam commenticia maiestate induere studuit; nam quae ornamenta apud Sophoclem incredibilem orationi et gravitatem addunt et venustatem, ea apud Euripidem propria sua vi usque adeo privata sunt tantaque cum intemperantia usurpantur, ut non multum absint ab inani verborum sonitu. — Quumque tria illa exemplis allatis longius persequi libelli angustiis prohibear, satis habeo de tertio, qui magis ad rhetoricen spectat loco accuratius ita disputare, ut primum disseram de allitteratione, tum de antithesi et oxymoro, post de pleonasmo, deinde de verborum iterationibus schetliasticis, denique de circumlocutionibus. Omnino autem, quum in talibus facile agnoscas institutionis sophisticae vestigia, quid valuerit Protagoras ad excolendum sermonem Euripideum vix poterit diiudicari (cfr. Bernhardy. in Ersch. et Grub. encycl. I. 39, pg. 143); attamen hoc licet pro certo affirmare, illud nimium figurarum rhetoricarum studium, quod multis locis exagitavit comicus, Prodici disciplinae deberi.

I. Qui animi quadam alacritate et incitatione rem agunt, saepissime solent vel simillimas vel prorsus easdem voces repetere. Quam quidem naturae legem quum recte perspexissent poetae veteres, verborum allitterationem et iterationem haud neglegendum putarunt artificium ad describendam incitatiorem mentis condicionem. Imprimis autem oratio Euripidea sonorum et litterarum similitudine luxuriatur, id quod satis apparebit ex iis quae iam allaturus sum exemplis. Similium vocabulorum, quamquam non de eadem stirpe deductorum allitterationem habes Or. 238 *ἕως ἐῶσι σ᾽ εὖ φρονεῖν Ερίνυες.* Iph. A 651: *μακρὰ γὰρ ἡμῖν ἡ ᾽πιοῦσ᾽ ἀπουσία*

κτλ. cfr. 1082. ibd. 1335: *ὦ χαῖρε, πόλις, χαίρετε δ' ὑμεῖς πολλά, πολίτιδες.* Hel. 1253. Troad. 484: *κλύουσ' ἔκλαυσα.* Iph. T. 367: *ὑμνοῦσιν ὑμεναίοισιν.* Aliquoties poeta de necessitudine quadam etymologica videtur cogitavisse; Or. 1635: *Ζηνὸς γὰρ οὖσαν ζῆν νιν ἄφθιτον χρεών.* Hec. 649: *τὸν εὔροον Εὐρώταν.* Phoen. 1131: *γίγας ἐπ' ὤμοις γηγενής.* cfr. ibd. 128 Eximia est suavitate locus Phoen. 535 seqq.:

κεῖνο κάλλιον, τέκνον
ἰσότητα τιμᾶν, ἢ φίλους ἀεὶ φίλοις
πόλεις τε πόλεσι συμμάχους τε συμμάχοις
συνδεῖ κτλ.

quo loco ex dimidia parte iam prorsus eorundem vocabulorum allitterationem habes. Adde Or. 742: *οὐκ ἐκεῖνος, ἀλλ' ἐκείνη κεῖνον ἐνθάδ' ἤγαγεν.* Ibd. 1587: *ὁ μητροφόντης ἐπὶ φόνῳ πράσσει φόνον.* Ibd. 277: *πνεῦμ' ἀνεὶς ἐκ πνευμόνων.* Ibd. 1579, Phoen. 82: (*ὑπόσπονδον μολεῖν*) *ἔπεισα παιδὶ παῖδα.* Bach. 905. 971. El. 1009. Hel. 1403. Heracl. 26. Or. 638. 1174. Nec rara est cumulatio adiectivorum cum *ἀ* privativo compositorum. Iph. T. 220: *ἄγαμος ἄτεκνος ἄπολις ἄφιλος.* Or. 310: *ἀνάδελφος ἀπάτωρ ἄφιλος.* Cfr. Soph. Antig. 843: *ἄκλαυτος ἄφιλος ἀνυμέναιος.* Iph. T. 694: *ἐγὼ δὲ δυσσεβῆ καὶ δυστυχῆ.* — Interdum autem non acquievit poeta in hoc simpliciore allitterationis genere, sed adsurgit oratio ad iusta *ὁμοιοτέλευτα,* quae suis locis ab Euripide non solum admissa, sed etiam de industria quaesita sunt. Or. 1128:

καὶ τόν γε μὴ σιγῶντ' ἀποκτείνειν χρεών.
Pyl.: *εἶτ' αὐτὸ δηλοῖ τοὔργον οἷ τείνειν χρεών,*

nisi forte hoc librario vitio est dandum. Iph. A. 1327:

τοῖσι δὲ λύπαν, τοῖσι δ' ἀνάγκαν
τοῖς δ' ἐξορμᾶν, τοῖς δὲ στέλλειν
τοῖσι δὲ μέλλειν. Cfr. Hel 198. —

Longe tamen frequentius est illud allitterationum genus, quo verbum aliquod eiusdem radicis substantivum sibi adsumit quarto casu (quam vulgo figuram etymologicam dicunt). Cuius de usu Euripideo Schirlitzius (de sermonis tragici per Eurip. incrementis. Halis Sax. 1863, pg. 13): „Etsi enim aperte,

inquit, graeci sermonis est, substantiva cum verbis eiusdem stirpis iungere, nescio tamen an paullo cupidius talia affectaverit pro sermonis indole Euripides; neque non sentis interdum Aristophaneos ἐπῶν γωνιασμούς; praeter vulgaria enim (vid. Lob. Paral. pg. 505 seq.) multa dixit nove." Recte profecto iudicavit vir doctus; enotavi enim circiter centum diversa huius figurae exempla, quae sine dubio multis possunt augeri. Exscribam, quae insolentiora aut plane nova sunt. Ion. 921: λοχεύματα σεμνὰ λοχεύεσθαι. Herc. f. 1305: βούλησιν βούλεσθαι. Andr. 653: πεσήματα πίπτειν δοριπετῆ. (δορυπετῆ φόνον πίνειν Cycl. 305 de tellure, quae necatorum sanguinem exsorbet.) Troad. 138: θάκους θάσσειν. Hel. 894: οὐκ εὐδαίμονα θᾶκον προςκαθίζειν. Herc. f. 1214: ἕδρας δυστήνους θάσσειν. Heracl. 55: ἕδραν καλὴν καθῆσθαι). Hel. 159: ἐσθλῶν ἀμοιβὰς ἀντιδωρεῖσθαι. Herc. f. 221: ὄμμ' ἐλεύθερον βλέπειν. Ibd. 1041: πικρὰν διώκειν ἤλυσιν. (Phoen. 844: πυκνὴν ἤλυσιν βαίνειν.) Herc. f. 1137: ἄθλια ἑρμηνεύματα ἐρωτᾶν. Bach 8: φλόγα τύφεσθαι. Ibd. 557: θιάσους θυρσοφορεῖν (ex conj. Kirchhoffii.) — Non minus audacia sunt, quae accusativum vel dativum personae sibi adsciscunt, ut Iph. A. 1182: δεξόμεθα δέξιν, ἥν σε δέξασθαι χρεών. Bach. 955: κρύψει σὺ κρύψιν, ἥν σε κρυφθῆναι χρεών. Cfr. Hel. 1099, 1596. Hipp. 1237. Ion. 80. 1518. Saepe etiam ita res a poeta instituitur, ut altera tragoediae persona verbum pronuntiet, altera orationem cupide excipiens eiusdem radicis substantivum adiciat. Or. 1610: Or: πεῖθ' ἐς Ἀργείους μολὼν — Men.: πειθὼ τίν'; Bach 827: ἐγὼ στελῶ σε. — Penth.: τίνα στολήν; Ion. 536: τὸν συναντήσαντά μοι. — Ion.: τίνα συνάντησιν; cfr. Bach. 969. Hel. 1633. Iph. A. 1364. Or. 1581. —

Iam vero, quominus statim ad antithesin pergamus, unum obstat, quod quamquam longius abest a proposito, tamen hoc loco optime disputationi inseretur: dico pervulgatam in omni poesi graeca consuetudinem, qua utantur nominum propriorum etymologiis ad describendos hominum mores. Qua de re quum intelligenter, uti solet, iam Aristoteles disputaverit (Rhet. II. 23, 29) nunc permulta collegerunt Valckenarius

ad Phoen. 27 et 639. Köchly, ad Iph. Taur. 500. Schneidewinus ad Aiac. 430. Atque si ab initiis exempla repetere volumus, viam iam demonstravit Homerus; Od. τ. 408: *πολλοῖσιν γὰρ ἔγωγε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω . . . . , . τῷδ' Ὀδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον.* Cfr. Jl. β. 758: *Πρόθοος θοὸς ἡγεμόνευεν.* Jl. ζ. 403, Od. ι. 460. Nec respuit Aeschylus, qui vel elegantissime hanc figuram usurpavit. Prom. 85: *ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα καλοῦσιν· αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως.* Ag. 667: *τίς ποτ' ὠνόμαζεν ὧδ' ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως — τὰν. . . . . Ἑλέναν; ἐπεὶ πρεπόντως ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις.* Cfr. ibd. 1044—49. (*Ἀπόλλων — ἀπόλλων.*) Prom. 851 (*Ἔπαφος*) Sept. 559, 639, 809. (*Πολυνείκης*); quamquam tenendum est, parce illum hoc artificiosum dicendi genus in usum suum convertisse. Eiusdem temperantiae laude floret Sophocles, cuius haec exempla collegi: Aiac. v. 430: *αἲ αἴ. τίς ἄν ποτ' ᾤετ' ὧδ' ἐπώνυμον τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς; νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ καὶ τρίς.* Oed. R. 70: *ἐς τὰ Πυθικά . . . ὡς πύθοιθ' ὅτι κτλ.* Cfr. Oed. Col. 486 (*Εὐμενίδες*); Antig. 110 seq. (*Πολυνείκης*). Oed. R. 1036. Ai. 172. 608. Trach. 127. — Multo licentius ut saepe alias sic hoc quoque loco evagatum est ingenium Euripideum. Nec mirum; nam quum de industria affectaret faceta sermonis ornamenta, fieri non potuit, quin contortis et nimis argutis etymologiis interdum indulgeret: id quod fabulis perlustratis luce clarius apparebit. Quid enim? nonne nimis argutatur, qui Meleagrum (frg. 521 Nauck = frg. V. Math.) appellet. *Μελέαγρε, μελέαν γάρ ποτ' ἀγρεύεις ἄγραν?* Nec minus audacia sunt, quae de Zethi et Amphionis nominibus per etymologiam explicandis commentus est (frg. Antiop. I—II. *Ἀμφίων ὅτι Ἀ. ἐκλήθη παρὰ τὴν ἄμφοδον,* quae derivatio acerbam Aristophanis irrisionem experta est (apud Polluc. IX. 36. cfr. Valcken. diatrib. pg. 62c). Accedunt reliqua paullo minus insolentia velut de Pentheo (Bach. 367: *Π. δ' ὅπως μὴ πένθος εἰςοίσει δόμοις.* Ibd. 508.) de Ione (in fabula cognomine 831: *Ἴων ἰόντι δῆθεν ὅτι συνήντετο* cfr. 661, 800) de Polynice (Phoen. 636: *ἀληθῶς δ' ὄνομα*

Πολυνείκην πατὴρ ἔθετό σοι θείᾳ προνοίᾳ νεικέων ἐπώνυμον. cfr. 1494. Senec. Oedip. 815) de Apolline (frg. Phaeth. IV. v. 12: *ὥς μ᾽ἀπώλεσας καὶ τόνδ᾽· ἀπόλλων δ᾽ἐν βροτοῖς ὀρθῶς καλεῖ*) de Oedipo (Phoen. 26). Cfr. etiam Iph. Taur. 32. Iph. A. 321. 1457. Or. 1635. Suppl. 496

II. Sed ut iam ad propositum revertamur, altero loco disseramus de antithesi et oxymoro. Ac mirum quantum delectari Euripidem rebus contrariis cum ostentatione oppositis facile exspectaverit, qui memoria tenet, quae de poetae consilio supra exposuimus. Atque ut ab iis exordiar, quae minimam habent offensionem, affero Andr. 742: *σώφρων καθ᾽ ἡμᾶς, σώφρον᾽ ἀντιλήψεται, θυμούμενος δὲ τεύξεται θυμουμένων, ἔργοισι δ᾽ἔργα διάδοχ᾽ ἀντιλήψεται.* Cfr. Hec. 809. 1189. Heracl. 554. Imprimis gaudet opposuisse *πράγματα* et *ἔργα, σῶμα* et *ὄνομα, γλῶσσαν* et *φρένα.* Hel. 286: *τοῖς πράγμασιν τέθνηκα, τοῖς δ᾽ἔργοισιν οὔ.* Iph. T. 504: *τὸ σῶμα θύσεις τοὐμόν, οὐχὶ τοὔνομα.* Or. 390. 454. Hipp. 501. Hel. 601. Hipp. 612: *ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽, ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.* — Aliquanto insolentius opposite coniunguntur *εὖ κακῶς* simil. Iph. A. 378: *βούλομαι σ᾽ εἰπεῖν κακῶς εὖ.* Iph. T. 559: *ὡς εὖ κακὸν δίκαιον εἰςεπράξατο* (vid. annot. Köchl.) Iph. A. 466: *οὐ συνετὰ συνετῶς.* Proprium autem sermonis Euripidei acumen — numquam enim vel rarissime hoc deprehendas apud alios — in eo positum est, quod saepe poeta alicui personae ita aliquid attribuit, ut proximo verbo statim tollat (Or. 904: *᾽Αργεῖος οὐκ ᾽Αργεῖος*); quod nimium captandae elegantiae studium in acerbam Aristophanis incurrit reprehensionem. Nam quum Eur. Alc. 521 ausus esset *ἔστιν τε κοὐκετ᾽ ἔστιν.* El. 391: *ὅ τε παρὼν ὅ τ᾽οὐ παρών,* elusit comicus hanc subtiliorem disputandi rationem in Acharnensibus v. 395 seq.: ubi Dic.: *ἔνδον ἔστ᾽ Εὐριπίδης;*

Ceph.: *οὐκ ἔνδον ἔνδον ἐστίν, εἰ γνώμην ἔχεις.*
Dic.: *Πῶς ἔνδον, εἶτ᾽ οὐκ ἔνδον;* Ceph. *ὀρθῶς, ὦ γέρον.*
ὁ νοῦς μὲν ἔξω ξυλλέγων ἐπύλλια
οὐκ ἔνδον, αὐτὸς δ᾽ ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ
τραγῳδίαν. Dic. *ὦ τρισμακάρι᾽ Εὐριπίδη,*
ὅθ᾽ ὁ δοῦλος οὑτωσὶ σοφῶς ὑποκρίνεται.

Ex magna exemplorum copia pauca exscribo, reliqua numeris tantummodo significo. Hel. 138: *τεθνᾶσι κοὐ τεθνᾶσι*. Iph. Aul. 1139: *ὁ νοῦς ὅδ' αὐτὸς νοῦν ἔχων οὐ τυγχάνει*. Or. 613: *ἑκοῦσαν οὐχ ἑκοῦσαν*. Phoen. 272: *πέποιθα μέντοι μητρὶ κοὐ πέποιθ' ἅμα*. Ibd. 357: *μῆτερ, φρονῶν εὖ κοὐ φρονῶν ἀφικόμην*. Hec. 949: *γάμος οὐ γάμος*. Hel. 1131: *τέρας οὐ τέρας*. Phoen. 1499: *σὰ δ' ἔρις οὐκ ἔρις*. Soph. Oed. R. 1256: *γυναῖκα τ' οὐ γυναῖκα*. Adde Alc 141, 352. Bach. 332. El. 1092. 1230. Hec. 566. Hipp. 1034. Ion. 537. 1444. Iph. T. 512. 770. Or. 819. Phoen. 899. 1446. 1652. Troad. 1223. Ceterum conferendae sunt annotationes Köchlyi et Klotzii ad Iph. T. 512.

Iis autem quae modo posui exemplis iam de improviso ad illud dicendi genus disputatio delapsa est, quod oxymori nomine grammatici appellare solent. Consueverunt enim poetae in oratione acerbitatis plena id quod naturae suae repugnat ideoque atrox plerumque ac funestum est, ita exprimere, ut notioni substantivo expressae subiciant eiusdem radicis adiectivum cum *ἀ* privativo aut cum particula *δυς* compositum. Utrumque praeivit Homerus; Od. 18, 73: *Ἶρος Ἄϊρος*. Od. 23, 97: *μῆτερ ἐμὴ δύσμητερ*. Quem clarissimum antesignanum quum alii studiose secuti sunt poetae, tum certatim imitati triumviri tragici. Apud Aeschylum enim praeter ea quae Schmidt (de ubert. or. Soph. II. pag. 10. Strelitiae Novae 1862) congessit, leguntur haec: Ag. 1175: *φροιμίοις δυσφροιμίοις*. Eum. 263: *πώματος δυσπότου*. Prom. 269: *θέαμα δυσθέατον*. Prom. 544: *χάρις ἄχαρις* (cfr. Ag. 1510. Choeph. 40). Ag. 1101: *νόμον ἄνομον*. Ibd. 140: *θυσίαν ἄδαιτον*. Choeph. 312: *ὦ πάτερ αἰνόπατερ*. Ibd. 592: *ἀπέρωτος ἔρως*. Ag. 390: *ἄτλητα τλᾶσα* (cfr. Eur. Bach. 913: *σπεύδοντα ἀσπούδαστα*). — Sophoclea quum copiose ac diligenter exprompta exstent apud Schmidt. l. l. pg. 10 seq. praetermitto. Ex Euripideis autem fabulis vir doctus (l. l. pg. 10 seq.) haec affert: Hel. 363: *ἔργα ἄνεργα*. Ibd. 690: *γάμον ἄγαμον*, quod imitatus est poeta tragicus [Pacuvius in Iliona?] ap. Cic. de or. III. 58, 219: Quá tempestate Hélenam Paris innúptis iunxit núptiis. Hec. 612: *νύμφην τ' ἄνυμφον παρθένον τ' ἀπάρθενον*. Suppl. 32:

δεσμὸν δ' ἄδεσμον. Herc. f. 1133: ἀπόλεμον πόλεμον. Iph. T. 889: δι' ὅδους ἀνόδους. Ibd. 566: χάριν ἄχαριν. Hipp. 821: κατακονὰ ἀβίοτος βίου. Ibd. 1144 et Phoen. 1306: πότμον ἄποτμον (adde Iph. T. 863). Tro. 75: δύσνοστον νόστον [ubi tamen Kirchh. scripsit δύστηνον νόστον.] Phoen. 1047: γάμους δυςγάμους. Iph. T. 144: δυςθρηνήτοις θρήνοις. ibd. 203: δυςδαίμων δαίμων. ibd. 216: νύμφαν δύςνυμφον. Hel 213: αἴων δυςαίων. Or. 319: ἀβάκχευτον θίασον. ibd. 621: ἀνηφαίστῳ πυρί. Phoen. 1028: ἄλυρον μοῦσαν.

Quibus ego, ne de alienis tantummodo largiri videar, addo haec: Iph. T. 832: δάκρυ ἄδακρυ [cfr. Soph. El. 1230: κἀπὶ συμφοραῖσί μοι γεγηθὸς ἕρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο]. Iph. T. 863: πατέρ' ἀπάτορα, πότμον ἄποτμον ἔλαχον (conj. Nauck). Phoen. 1757: χάριν ἀχάριτον. Hec. 195: δυςφήμους φάμας. Suppl. 960: δυςαίων ὁ βίος. Phoen. 534: νυκτὸς τ' ἀφεγγὲς βλέφαρον. Hipp. 868: ἀβίοτος βίου τύχα. ibd. 1386: ἀναλγήτου πάθους. Troad. 1291: μεγαλόπολις ἄπολις ὄλωλεν. Or. 163: ἀπόφονον φόνον. Ibd. 192: ἀπόφονον αἷμα. Nec procul absunt ab oxymori natura Hel. 135: αἰσχρὸν κλέος. cfr. Iph. A 305. Phoen. 821. Hel. 883: γάμοι ψευδονύμφευτοι. Herc. f. 1376: λυγραὶ φιλημάτων τέρψεις. Phoen. 549: ἀδικίαν εὐδαίμονα. El. 126: πολύδακρυν ἀδονάν. Bach. 66: πόνον ἡδὺν κάματον τ' εὐκάματον. Hel. 518: μελαμφαὲς ἔρεβος (Aristoph. Ran. 1331: κελαινοφαὴς ὄρφνα). Soph. Trach. 875: βέβηκεν . . ἐξ ἀκινήτου ποδός simil. Ac de antithesi et oxymoro haec hactenus.

III. Proximo loco quum de pleonasmis agendum sit Euripideis iam in campum descendimus latissime patentem, in quo perdifficile est, rem ita gerere, ut suis locis omnia tractentur. Totam igitur quaestionem ita aptissime distribuere mihi visus sum, ut primum dicam de redundantia adiectivi attributivi, tum de vocabulis ἐκ παραλλήλου ut aiunt positis, deinde de ea ratione, qua quae affirmata sunt, eadem contrarii negatione gravius confirmantur, denique de frequentatis eiusdem fere significationis vocabulis. In universum autem non inutile erit praemonere, me non ab eorum partibus stare, qui pleonasmos sibi invenire videntur, ubi nulli sunt, sed pervulgato

tantummodo pleonasmi nomine ea complexum esse, quae longe maxima ex parte tam procul absunt ab inani redundantia, ut sint felicissimae ubertatis specimina.

Ac primum quidem quod statui pleonasmi genus, quam late pateat, in vulgus notum. Nolo igitur omnia expromere, sed pauca affero, quae in deliciis Euripidi videntur fuisse. Quamquam Orci cives simplici vocabulo *νεκρός* vel *νέκυς* satis bene significantur, consueverunt tamen poetae, quo melius ipsa verborum copia exstinctos esse illos appareat, uberioribus uti locutionibus. Hom. Il. 7. 409. Od. 11, 37. 490: *νεκύων κατατεθνηώτων*. Soph. Antg. 26: *τὸν δ' ἀθλίως θανόντα Πολυνείκους νέκυν*, quo tamen loco redundantiae speciem adiecto adverbio prope obscurari recte monuit Schmidt. de ubert. Il. 2. — Soph. Ant. 515: *ὁ κατθανὼν νέκυς*. Plura suppeditant Euripidis fabulae: *νέκυν ὀλόμενον* Phoen. 1295. Hel. 178. *φθιμένων νεκύων* Suppl. 45. 975. *τοὺς θανόντας νεκρούς* Phoen. 1476. Suppl. 524. *θανόντων σώματα νεκρῶν* Troad. 91. *τοὺς ὀλωλότας νεκρούς* Suppl. 16. 108. 558. — Nec minus frequentavit alia eiusdem generis, quae aliis poetis plerumque sunt inusitata; *μακρὸν μῆκος χρόνου* Or. 72. cfr. Aesch. Prom. 1024. *ἅλιον πέλαγος:* Hec. 938. 950. Andr. 1014; *ἐν νώτοισιν ποντίας ἁλός:* Hel. 129. Herc. f. 400. Cfr. *πελαγίαν ἅλα* Aesch. Pers. 422. 462. *ἄνανδρον χήραν:* Andr. 348. *στυγίους ὀργάς*: Hel. 1339. *ποτανοὶ οἰωνοί:* ibd. 1480. *ἐμπύρου φλογός*. ibd. 746. al. Quod quidem deducit nos ad aliud dicendi genus ab Aeschylo et Sophocle etsi fortasse non prorsus evitatum, attamen cautissime adhibitum. Cfr. Lobeck. ad Aiac. 1152. Herm. Opusc. I. 224. Euripides enim, quo iure (Hec. 938) ausus erat *ἅλιον πέλαγος*, eodem sibi visus est scribere *πέλαγος ἁλός:* Iph. T. 300. Tro. 88. praesertim quum auctorem haberet locupletissimum Homerum. (Od. 5, 335: *ἁλὸς ἐν πελάγεσσιν*); nec pauca effinxit plus minusve similia. *πέλαγος Αἰγαίου πόρου*. Hel. 130. *οἶδμα πόντιον γλαυκῆς ἁλός*. ibd. 400. *διὰ πόντιον κῦμ' ἁλίκτυπον ἅλμας*. Hipp. 753 (multo etiam tumidius Hel. 1501: *γλαυκὸν ἐπ' οἶδμ' ἅλιον κυανόχροά τε κυμάτων ῥόθια πολιὰ θαλάσσας*). — *δροσώδης ὕδατος νότις*. Bach. 705.

cfr. Phoen. 645. — σκόπελον πέτρας: Ion. 277. 715. — λέκτρων κοίτας: Alc. 925. Med. 436; λέκτρων εὐναί: Herc. f. 798. Aesch. Pers. 538. cfr. κενῆς εὐνῆς ὄρφανον λέχος: Soph. Antg. 425. — θρήνων ὀδυρμοί: Troad. 609. Hec. 297. ἁρμάτων ὄχοι: Hipp. 1166. Phoen. 1190. Iph T. 370. Suppl. 683; ἁρμάτων ὀχήματα: Suppl. 662. — βοστρύχων τε κυανόχρωτα χαίτας πλόκαμον: Phoen. 308. — πέπλων χρυσεόστολον φάρος: Herc. f. 413. — θυμάτων θυσία: Cycl. 363. — πυρὸς φλόγα: Bach. 8. Andr. 847. Heracl. 914. — χερὸς ἀγκάλη: Ion. 1336. — τάρβους φόβος: Phoen. 361. — ὕμνων ᾠδάν: Troad. 514. — Cfr. etiam Andr. 147, 148. Alc. 23. 247. Cycl. 241. El. 1071. 1301. Hel. 1153. Herc. f. 664. Hipp. 1250. Ion. 992. Troad. 1182. —

Quae adhuc disputavimus, ad adiectiva simplicia spectabant; nunc de compositis nonnulla adicere libet. Innumerabilis est in tragoedia graeca epithetorum compositorum multitudo, quorum ea est compositionis ratio, ut primo obtutu alterius partis notio prorsus videatur abundare. Verumtamen si quis recte expenderit singulorum membrorum notiones, saepissime luce clarius apparebit, reapse composita procul abesse ab inani abundantia. (Cfr. Schirlitz. l. l. pg. 94 seq. et quae satis copiose de hac re disputavit Io. Schmidt (de epith. comp. in trag. gr. usurp. diss. inaug. Berol. 1865). Profecto autem, si quo alio, hoc loco diversitas quaedam scriptorum statuenda erit haud neglegenda. Sophocles enim liberiorem componendi usum angustissimis cancellis circumscriptum voluit esse nec ita multa habet, in quibus iterata altero compositi membro notio substantivi tam nihil ad sententiam faciat, ut compositum pro simplici adiectivo usurpatum possit videri. Paullo minus considerate Aeschylus rem gessit, neque tamen adspirat ad Euripidis licentiam. Quod quam vere statuerim, testis est tritissima sane Euripideis in fabulis terminationis πτυχος suboles, quae numquam non excussa verbi πτύσσειν notione usurpatur. δίπτυχος γονή: Med. 1136. δίπτυχον δῶρον: Ion. 1010. δίπτυχοι τυραννίδες: Andr. 472. χεῖρες: ibd. 578. σύγγονοι: El. 1238. νεκροί: Hec. 1287. νεανίαι: Iph. A. 474. 1289. ὁδοί: Or. 633. παῖδες: Phoen. 1354. δίπτυχα φάσγανα: Or. 1303. τρίπτυχοι

τυραννίδες: Herc. f. 474. λοιμοί: Or. 1513. θρῆνοι νεκρῶν: Phoen. 1635. Tantam vero copiam qui consideraverit, mirabitur profecto, haec composita neque apud Aeschylum exstare, neque apud Sophoclem; nam quod legitur frg. Achill. Erast. 2, (157 Nauck.) δίπτυχοι ὀδύναι, recte illud fragmentum Sophocli abiudicasse videtur Dobraeus. — Ut autem in vocibus δίπτυχος et τρίπτυχος sola valet numeralis significatio, ita etiam in aliis quibusdam adiectivis cum adverbio numerali compositis. Poetae enim cum intellegerent, simplicis numeralis ieiunitatem parum decere tragici carminis sublimitatem, venustissime compositis usi sunt, ita tamen, ut secundae partis etymon notionem habeat ampliorem atque adeo non circumscriptam, ut facile delitescat. Herc. fur. 1023: τέκνα τρίγονα τεκόμενος. Ion. 496: κόραι τρίγονοι. El. 1179: δίγονα σώματα de corporibus Aegisthi et Clytemnestrae, cf. Soph. frg. 137: φοίνιον μάσθλητα δίγονον. — Iph. Aul. 277: δωδεκάστολοι νᾶες significatione nihil differt a δώδεκα; nam quod de huius vocabuli vi scite Ellendtius in lex. Soph. I. 436 s. v. δίστολος exposuit, id in Euripidis locum minime quadrat. Sophocles Oed. Col. 1058 Antigonam et Ismenam recte poterat appellare τὰς διστόλους ἀδμῆτας ἀδελφάς; „inest enim in στόλος elegans significatio, quod in ipso itinere a Theseo liberatum illas iri chorus auguratur.“ Pariter Soph. Phil. 496: αὐτόστολον πέμψαντα μ᾽ ἐκσῶσαι δόμοις sane prior compositi notio αὐτός ad sensum praevalet; neque tamen notio alterius partis neglegenda est; est enim αὐτόστολος „ipse parans“ scil. navem. In Iphigenia autem Aulidensi chorus classem contemplatur non mare percurrentem, sed in litore stantem. — Alc. 407: λείπομαι φίλας μονόστολος ματρός = solus. Phoen. 742: λόχων ἀνάσσειν ἢ μονοστόλου δορός. Aesch. Suppl. 496: μορφῆς οὐχ ὁμόστολος φύσις = ὁμοῖος. — Rhes. 5: τετράμοιρος νυκτὸς φυλακή propter eiusdem fabulae v. 542, quo docemur praesidium noctis in quinque partes divisum fuisse, nihil aliud potest esse, quam quarta noctis vigilia. J. Schmidt. l. l. pg. 54. — Iph. T. 263: κοιλωπὸς ἀγμός nil est nisi „cavus“; in nonnullis enim, quae proficiscantur ab ὤψ, terminationem nihil conferre ad significationem docet

Herm. ad Ai. 221. Idem vero multo etiam melius potest probare adiectivum *ἐξώπιος*, quod cum apud solum inveniatur Euripidem nescio quomodo perplacuit poetae. Alc. 546: *δωμάτων ἐξωπίους ξενῶνας οἶξας*. Med. 624: *χρονίζων δωμάτων ἐξώπιος*. Suppl. 1038: *δόμων ἐξώπιος βέβηκεν*. Lepide igitur ob hoc ipsum vocabulum deridetur ab Aristophane Thesm. 811. — Hec. 121 in voce *μαντιπόλος Βάκχη* propemodum evanuit verbi *πολέω* significatio, quae in voce *νυκτιπόλος* = noctivagus satis sentitur. (Ion. 717: *νυκτιπόλοις Βάκχαις*. ibd. 149: *νυκτιπόλων ἐφόδων*. frgt. 475: *νυκτιπόλου Ζαγρέως*). Porro procedant nonnulla composita a verbo *δέω* derivata. Or. 821: *μελάνδετον φόνῳ ξίφος* Pflugkius ita explicari vult, ut ensem significet quasi atrato margine effusi sanguinis circumdatum: id quod probari potest, cum de ense agatur post perpetratam caedem *ἐς αὐγὰς ἀελίοιο δεδειγμένῳ*. Eadem vero explicatio vix sufficit Phoenissarum v. 1091; ibi enim Creontis filius *πύργων ἐπ᾽ ἄκρων στὰς μελάνδετον ξίφος λαιμῶν διῆκε*; itaque nisi statueris per prolepsin poetam *μελάνδετον* appellavisse ensem, qui ipsa demum caede atrato margine sanguinis circumdatur, illa Pflugkii explicatio locum non potest habere. Quare crediderim potius, parum respexisse poetam propriam verbi *δέω* significationem et *μελάνδετον ξίφος* prorsus eadem vi dixisse, qua scripsit Or. 1472: *μέλαν ξίφος*. Hel. 1652. cf. Or. 1148: *φάσγανον μέλαν*. — De voce *ταυρόδετος* (frgt. 475: *τ. κόλλῃ*.) copiosius in eam sententiam disputavit Schirlitzius pg. 78, ut dictum putet pro glutine taurino et vinciente; mihi quidem in hac explicatione posterius membrum prorsus languere videtur; est nihil aliud nisi quod exprimitur substantivo *ταυροκόλλα* i. e. gluten taurinum. — Etiam Rhes. 712: *ῥακοδύτῳ στολᾷ πυκασθείς* pro simplici adiectivo *ῥακόεις* positum putandum est, cum epitheton ad ipsius vestis notionem appositum sit. — Quae restant aut ab omnibus poetis pariter admissa sunt quiescente alterius partis notione (ut adiectiva in *ειδης*, *ωδης*, *ηρης* exeuntia), aut si Euripidis propria sunt, poterunt defendi. Quo iure poeta Phoen. 683 dixerit *διώνυμοι θεαί* annotatione sua comprobavit Klotzius; idem autem Andr. 277: *τρίπωλον ἅρμα δαιμόνων καλλι-*

ζυγές et Hel. 357: τριζύγοις θεαῖσι ab inanis redundantiae suspicione vindicare studuit. — Suppl. 993: ὠκυθόαι νύμφαι, si Schirlitzio credimus (l. l. pag. 55) est cursu celeres; non enim proparoxytonos ὠκύθοος intelligendum est, ut sit ex duobus synonymis conflatum, sed paroxytonos ὠκυθόος, formatum a verbo θέω pariter ac βοηθόος. — De usu vocis ὁμόπτερος (Phoen. 328: ἀπήνη ὁμόπτερος = par fratrum aetate propemodum aequalium; El. 560: βοστρύχους ὁμοπτέρους = capillum consimilem; cf. Aesch. Choeph. 174) vide quae congesserunt Valcken. ad Phoen. l. c. Abresch. ad Aesch. Choeph. l. c. Seidler. ad Eur. El. l. c. — Ac de vocabulis compositis abundantia quadam insignibus haec hactenus.

Sentio enim me iusto diutius in hoc loco exponendo versatum esse; itaque quae sequuntur quam brevissime potero praecidam. Vocabula ἐκ παραλλήλου posita pariter apud omnes poetas tragicos leguntur. Sophoclea et Aeschylea affatim suppeditabit Fr. Schmidt. de ubert. ll. 12; equidem satis habeo, Euripidea attigisse magis quam tractasse. Phoen. 1375.

δὸς ἔγχος ἡμῖν καλλίνικον ἐκ χερὸς
ἐς στέρν᾽ ἀδελφοῦ τῆσδ᾽ ἀπ᾽ ὠλένης βαλεῖν·

Hipp. 1148: τί τὸν τάλαν᾽ ἐκ πατρῴας γᾶς — πέμπετε τῶνδ᾽ ἀπ᾽ οἴκων. Jon. 16: τεκοῦσ᾽ ἐν οἴκοις παῖδ᾽ ἀπήνεγκεν βρέφος. Phoen. 22: ἔσπειρεν ἡμῖν παῖδα, καὶ σπείρας βρέφος. — Andr. 18: χωρὶς ἀνθρώπων φεύγουσ᾽ ὅμιλον. Bach. 614: ῥᾳδίως — ἄνευ πόνου. El. 81: ἀργὸς — ἄνευ πόνου. Or. 1584: δάμαρτα — τὴν ἐμὴν ξυνάορον. ibd. 1426: Φρυγίοισιν νόμοις — βαρβάροισιν νόμοισιν. Cfr. Bach. 767. 1026. El. 218. 696. Hec. 527. Hel. 2. 19. 196. Herc. f. 10. 89. 178. 465. Iph. A. 1068. Med. 780. 992. Phoen. 193. 1135. Tro. 650. 1105. Rhes. 266. Ino. frg. 7. — Matthiae gr. gr. § 636. Pflugk ad Andr. 18. Hel. 2. Herc. f. 10. Lob. ad Ai. 308. —

Nec solum singulae notiones hoc modo ad augendam sermonis gravitatem bis exprimuntur, sed etiam tota enuntiata ita adhibentur, ut copiosius iterum exprimant, quod brevius iam significatum est. Quod dicendi genus, quamquam non

mediocriter adamavit Euripides, tamen fatendum est, fere semper poetam interpositis aliis vocabulis rem eo deduxisse, ut magis iucundae ubertatis, quam inanis redundantiae species exsistat Quae collegi exempla Euripidea haec fere sunt: Andr. 712: ἡ στεῖρος οὖσα μόσχος οὐκ ἀνέξεται τίκτοντας ἄλλους, οὐκ ἔχουσ' αὐτὴ τέκνα, ubi illud „οὐκ ἔχουσ' αὐτὴ τέκνα" non sine gravitate quadam recolit quod vocabulo στεῖρος breviter iam significatum est. Hel. 23: ἦλθον τρεῖς θεαὶ κάλλους πέρι — μορφῆς θέλουσαι διαπεράνασθαι κρίσιν. Cfr. Hom. Il. 9. 124: δώδεκα δ' ἵππους ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο. Il. 7. 409. Od. 1. 300. Aesch. Choeph. 730: κλύων ἐκεῖνος εὐφρανεῖ νόον — εὖτ' ἂν πύθηται μῦθον. Eur. Bach. 35: πᾶν τὸ θῆλυ σπέρμα — ὅσαι γυναῖκες ἦσαν. Iph. T. 366 seq.: μήτηρ δ' ἐμὲ

σέθεν κατακτείνοντος Ἀργεῖαί τε νῦν
ὑμνοῦσιν ὑμεναίοισιν, αὐλεῖται δὲ πᾶν
μέλαθρον, ἡμεῖς δ' ὀλλύμεσθα πρὸς σέθεν.

Andr. 876: ἀλλ' εἴσιθ' εἴσω μηδὲ φαντάζου δόμων
πάροιθε τῶνδε, μή τιν' αἰσχύνην λάβῃς
πρόσθεν μελάθρων τῶνδ' ὁρωμένη, τέκνον.

ubi tamen ultimum versum propter ipsum pleonasmum reiecit Kirchhoffius. Bach. 279. 629. Heracl. 300. 426. Herc. fur. 225. 755. Hipp. 935. 951. Phoen. 202. 1598. Suppl. 191. Troad. 961. — Aliquantum differt, quod legitur Or. 396. ἡ σύνεσις ὅτι σύνοιδα, quocum licet conferre locum aliis etiam pleonasmis insignem, Hec. 489:

ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην
ψευδῆ, δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος.

Cfr. Pflugk. ad Hec. 489. ad Hel. 23. Nitzsch. ad Od. I. 300.

Transeo ad tertium genus pleonasmi, quod excoluit grandiloqua et exilitatem verborum fugiens tragicorum oratio. Saepenumero enim quae affirmando iam pronuntiata sunt, eadem negato contrario gravius confirmantur. Quod dicendi genus quantopere in deliciis fuerit Sophocli ne Eustathium quidem fugit, qui explicans Homeri illud (Il. 6. 333.) κατ' αἶσαν οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν pg. 645: ἐπιμονὴν inquit ὁ λόγος ἔχει τὴν κατ' ἦθος ἀληθευτικήν· ὅτι ὅμοιον παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ τό, γνωτὰ κοὐκ ἄγνωτά μοι (Oed. R. 58) καὶ

τό, ἡδὺς οὐδὲ μητρὶ δυςχερής (El. 929). Quare quum longum sit enumerare Sophoclea, quae sunt paene innumerabilia, (cfr. Fr. Schmidt l. l. II. 17.) intra Euripidei sermonis fines me contineo, qui eiusmodi locos multo minus frequentes habet. Andr. 347: ἑκόντες οὐκ ἄκοντες. Iph. A. 360. ἑκὼν οὐ βίᾳ. Heracl. 841: μόλις δὲ πάντα δρῶντες οὐκ ἄτερ πόνων. ibd. 551: δίδωμ' ἑκοῦσα τοῖςδ', ἀναγκασθεῖσα δ' οὔ. Hec. 230: (ἀγὼν) πλήρης στεναγμῶν οὐδὲ δακρύων κενός. Alc. 527: τέθνηχ' ὁ μέλλων κοὐκέτ' ἔσθ' ὁ κατθανών. El. 1057: καὶ νῦν γέ φημι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι, τέκνον. Heracl. 531: ἑκοῦσα κοὐκ ἄκουσα. Hipp. 1: πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι κοὐκ ἀνώνυμος θεὰ κέκλημαι Κύπρις. Troad. 1157: λυπρὸν θέαμα κοὐ φίλον λεύσσειν ἐμοί. Cfr. Plat. Gorg. pg. 521 E.: οὐ πρὸς χάριν λέγων — ἀλλὰ πρὸς τὸ βέλτιστον, οὐ πρὸς τὸ ἥδιστον. Rarius praemittitur enuntiatum negativum; Phoen. 906: ὅδ' οὐ μακρὰν ἄπεστι, πλησίον δέ σου. Herc. f. 256: οὐ Καδμεῖος ὢν — ἔπηλυς ὢν (ubi contra codicis auctoritatem Kirchhoffius scripsit ἐπηλύδων).

Atque ut absolvamus totam de pleonasmo disputationem pauca oportet addamus de frequentatis eiusdem fere significationis vocabulis. Nimirum Euripides, ut profectus a Prodici disciplina atque institutione eorum vocabulorum coniunctionem consectatur, quae quid differant, etsi subtilem existimatorem raro fugit, primo obtutu parum liquet. Totum autem exemplorum agmen in diversas partes discedit; synonyma enim aut ἀσυνδέτως opponuntur, aut particulis copulantur. Utriusque generis nonnulla proponam. Hec. 525: λέκτοι τ' Ἀχαιῶν ἔκκριτοι νεανίαι. ibd. 715: ἄῤῥητ' ἀνωνόμαστα, θαυμάτων πέρα, οὐχ ὅσι' οὐδ' ἀνεκτά. Andr. 855: μονάδ' ἔρημον οὖσαν. Suppl. 967: ἄπαις ἄτεκνος γηράσκω. Andr. 1229: λεύσσετ' ἀθρήσατε. Or. 1302: φονεύετε καίνετε ὄλλυτε δίπτυχα δίστομα φάσγανα πέμπετε. Jon. 1446: τίν' αὐδὰν ἀΰσω, βοάσω; Hel. 483: τί φῶ; τί λέξω; Phoen. 919: οὐκ ἔκλυον, οὐκ ἤκουσα. Cfr. Andr. 412. 533. Bach. 995. Cycl. 210. El. 141 seq. Hec. 70. 86. 507. 691. 1093. Hel. 531. 1529. 1594. Heracl. 885. Herc. f. 495. Jon. 783. Or. 154. Suppl. 956. Adde αὖθις αὖ. Heracl. 796.

Jon, 1513. Or. 279. Phoen. 487. αὖ πάλιν: Hel. 528. Iph. T. 377. Suppl. 1081. πάλιν αὖ: Iph. A. 843. αὖθις πάλιν: Alc. 188. Hel. 262. πάλιν αὖθις: Heracl. 488. 708. denique πάλιν αὖθις-αὖ Hel. 932. (cfr. Soph. O. C. 1418. Phil. 952): quae tamen a pleonasmi nota vindicarunt Wolf. ad Aiac. 305. Schneidew. ad O. C. l. l. Pflugk. ad Heracl. 488. — Porro Andr. 835: δῆλα καὶ ἀμφιφανῆ καὶ ἄκρυπτα δεδράκαμεν πόσιν. Or. 137: ἡσύχῳ ποδὶ χωρεῖτε, μὴ ψοφεῖτε μηδ' ἔστω κτύπος. Bach. 617: οὐκ ἔθιγεν οὐδ' ἥψαθ' ἡμῶν. ibd. 919: Θήβας καὶ πόλισμ' ἑπτάστομον. Hec. 424: ὦ στέρνα μαστοί τε. Hel. 166: δάκρυσιν ἢ θρήνοις ἢ πένθεσιν. Cfr. Andr. 92. Bach. 999. Hec. 323. 424. 560. Hel. 673. Hipp. 379. 1256. Jon. 1464. Iph. A. 1561. Iph. T. 491. Or. 952. Phoen. 1335. Suppl. 393. Troad. 346. — Tum vero poetae cum omnibus affectibus miri, tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipui sermonem mirum quantum luxuriari in depingenda summae desperationis lamentatione facilis est coniectura. Hec. 667:

ὦ παντάλαινα κἄτι μᾶλλον ἢ λέγω,
δέσποιν', ὄλωλας, οὐκέτ' εἶ βλέπουσα φῶς
ἄπαις ἄνανδρος ἄπολις, ἐξεφθαρμένη.

Hipp. 353: . . . . ὥς μ' ἀπώλεσας·
γυναῖκες, οὐκ ἀνασχέτ', οὐκ ἀνέξομαι
ζῶσ'. ἐχθρὸν ἦμαρ, ἐχθρὸν εἰσορῶ φάος.
ῥίψω, μεθήσω σῶμ', ἀπαλλαχθήσομαι
βίου θανοῦσα· χαίρετ'· οὐκέτ' εἴμ' ἐγώ.

quibus aliquanto sunt adstrictiora, quae habes Andr. 1078. Troad. 289. — Paullo quidem minus offensionis habent ea, quae cum redundantia quadam sermonis vivendi notionem exprimunt. (El. 349: ἀνὴρ ἔστι καὶ λεύσσει φάος; Heracl. 969: μὴ ζῆν μηδὲ φῶς ὁρᾶν ἔτι. Alc. 81. Hel. 531. Jon. 853.) praesertim quum et Aeschylus praeiverit (Pers. 294) et Homerus (Od. 4. 539); nihilo tamen secius pro sapientia sua exulare iussit talia Sophocles. — Denique nolui praetermittere locos nonnullos notionum similium cumulatione insignes. Hec. 532:

σιγᾶτ', Ἀχαιοί, σῖγα πᾶς ἔστω λεώς
σίγα σιώπα· νήνεμον δ' ἔστησ' ὄχλον. cfr. Or. 140.

Iph. T. 231: *σύγγονον ὃν ἔλιπον ἐπιμαστίδιον*
ἔτι βρέφος, ἔτι νέον, ἔτι θάλος
ἐν χερσὶν πατρὸς πρὸς στέρνοις τ᾽· κτλ.
cuius loci redundantiam frustra interpretando tollere studuit Klotzius. Hipp. 545: *τὰν μὲν Οἰχαλίᾳ πῶλον, ἄζυγα λέκτρων, ἄνανδρον τὸ πρὶν καὶ ἄνυμφον.* — El. 734: *ξηραί τ᾽ Ἀμμωνίδες ἕδραι φθίνουσ᾽ ἀπειρόδροσοι καλλίστων ὄμβρων Διόθεν στερεῖσαι.* Herc. f. 1035. Bach. 54:
ὧν οὕνεκ᾽ εἶδος θνητὸν ἀλλάξας ἔχω
μόρφην τ᾽ ἐμὴν μετέβαλον εἰς ἀνδρὸς φύσιν.

IV. Sequitur, ut de verborum iterationibus pauca exponenda esse videantur. Quae quum ex naturae humanae lege animi affectibus vehementissime exagitati propriae sint, fieri non potest, quin plurima ex parte sedes fixerint in canticis, praecipue in genere illo monodiarum vere Euripideo. Neque tamen illis prorsus carent diverbia. Omitto nimis trita omnibusque poetis communia, ut anadiplosin appellationis (*ὦ τέκνα, τέκνα* Heracl. 48), particulae interrogativae (*ποῖ ποῖ διωγμὸν* Iph. T. 1435.) (cfr. Or. 298. 470. El. 487) imperativi (Phoen. 1280: *ἔπειγ᾽ ἔπειγε θύγατερ.* Ibd. 584. El. 679. Ion. 738. Or. 219. 1311. 1349. Troad. 304); restant tamen haud pauca, quae et insolentiora et animi vehementius exagitati excusatione interdum sunt destituta: cuius levitatis specimina quum apud Aeschylum tum apud Sophoclem frustra quaeras. — Hunc autem in numerum refero Andr. 245: *σοφὴ σοφὴ σύ· κατθανεῖν δ᾽ ὅμως σε δεῖ.* cf. Bach. 655. Alc. 1017. 1093. Heracl. 449: *χρῆν χρῆν ἄῤ ἡμᾶς ἀνδρὸς εἰς ἐχθροῦ χέρας πεσόντας κτλ.* Andr. 979: *κἀγὼ ταπεινὸς ὢν τύχαις ταῖς οἰκόθεν ἤλγουν μὲν ἤλγουν, συμφορὰς δ᾽ ἠνειχόμην·* denique ibd. 678 in oratione perquam sedata *γέρων γέρων εἶ· κτλ.* — Iam vero in canticis quanta cum intemperantia ac levitate Euripidis iterationes adhibuerit, neminem fugit. Quanto enim ieiuniora sunt carmina, tanto cupidius hoc fucato nitore exornantur: quo fit, ut Orestis fabula, quae omnium existimatorum iudicio longissime recedit a verae poesis dignitate, longe plurima praebeat exempla; in sola enim Phrygis monodia (v. 1369—1502.) leguntur ut minimum viginti. — Ipsa autem, quae

iterantur vocabula plerumque sunt brevia; longiora, ut *καθικετεύομαι* (Or. 323) *κατολοφύρομαι* (ibd. 339) *ἁρμάτειον ἁρμάτειον μέλος* (ibd. 1384) raro duplicata leguntur. Saepe etiam ita res instituitur, ut verbum compositum excipiat simplex: de qua re vide quae annotavit Pflugk. ad Alc. 400. Exempla autem haec sunt: Alc. 400: *ὑπάκουσον ἄκουσον* ibd. 872: *πρόβα πρόβα βᾶθι κεῦθος οἴκων.* Hec. 167: *ἀπωλέσατ᾽ ὠλέσατε.* Med. 1252: *κατίδετ᾽ ἴδετε τὰν ὀλομέναν γυναῖκα.* Or. 149: *πρόσιθ᾽ ἀτρέμας, ἀτρέμας ἴθι.* ibd. 181: *διοιχόμεθ᾽ οἰχόμεθα.* ibd. 1465: *ἃ δ᾽ ἀνίαχεν ἴαχεν οἴμοι.* — Quibus adiungo alia pauca vocabulorum iteratorum cumulatione conspicua. Hec. 688: *ἄπιστ᾽ ἄπιστα, καινὰ καινὰ δέρκομαι.* Alc. 270: *τέκνα τέκν᾽ οὐκέτι δὴ οὐκέτι μάτηρ σφῷν ἔστιν.* Phoen. 1500: *ἐπὶ δάκρυσι δάκρυσιν, ὦ δόμος.* ibd. 1725: Oed.: *ἰὼ ἰὼ δεινά, δείν᾽ ἐγὼ τλάς.* Ant.: *τί τλάς τί τλάς;* Or. 149: *κάταγε κάταγε, πρόσιθ᾽ ἀτρέμας, ἀτρέμας ἴθι.* ibd. 163: *ἄδικος ἄδικα τότ᾽ ἄῤ ἔλακεν ἔλακεν.* ibd. 1426: *Φρυγίοις ἔτυχον Φρυγίοισιν νόμοις παρὰ βόστρυχον αὔραν αὔραν Ἑλένας Ἑλένας εὐπᾶγι κύκλῳ . . . . . ᾄσσων,* quae tamen longe exsuperat tumor loci illius Helenae, quo illa coniuge recepto summo gaudio exsultat: (v. 650)

πόσιν ἐμὸν ἐμὸν ἔχομεν ἔχομεν, ὃν ἔμενον
ἔμενον ἐκ Τροίας πολυετῆ μολεῖν. —

Iam vero hanc figuram saepenumero ita usurpari ab Euripide, ut enuntiati sensus non tam postulare quam respuere videatur iterationem summis tantummodo affectibus concessam, si ea, quae protuli, nondum comprobare potuerint, hi certe loci demonstrabunt. Iph. T. 721:

ἀλλ᾽ ἔστιν ἔστιν ἡ λίαν δυςπραξία
λίαν διδοῦσα μεταβολὰς ὅταν τύχῃ.

ubi quum *ἔστιν* non possit valere „est, existit profecto", sed potius *διδοῦσά ἔστιν* ex poetica consuetudine positum sit pro *δίδωσι*, non solum languida, sed vel perversa est verbi substantivi iteratio. — Iph. A. 1285 seq.: *Πρίαμος ὅθι ποτὲ βρέφος ἁπαλὸν ἔβαλε . . . Πάριν, ὃς Ἰδαῖος Ἰδαῖος ἐλέγετ᾽ ἐλέγετ᾽ ἐν Φρυγῶν πόλει* qua quidem anadiplosi quid potest cogitari ieiunius? Adde Phoen. 822 (*ἐδάην ἐδάην*) Iph. A. 183 (*ἔριν ἔριν*). — Quare non possum

assentiri Köchlyo, qui ad Iph. T. v. 138 numquam hanc figuram sine idonea causa a poeta admissam esse contendit; immo optimo iure tragici neglegentiam mihi videtur perstrinxisse Aristophanes, qui in Ranarum fabula inde a. v. 1330 facete deridens monodias Euripideas ne huius quidem consuetudinis immemor fuit.

1353: ἐμοὶ δ' ἄχε' ἄχεα κατέλιπε
δάκρυα δάκρυά τ' ἀπ' ὀμμάτων
ἔβαλον ἔβαλον ἁ τλάμων.

cfr. 1337. 1352. Kock. ad Ran. l. l. — Sed de anadiplosi haec hactenus.

V. Restat, ut de circumlocutionibus breviter exponam. (Cf. quae exposuerunt F. Schmidt. l. l. I, pg. 17 seq. Matthiae. gr. gr. II. pg. 797. seq.) — Ac primum quidem de vocabulo δέμας, quod saepissime ab Euripide usurpatur ad personae dignitatem ipsa verborum gravitate exprimendam, magnam video inter viros doctos intercedere dissensionem. Ellendtius enim in lex. Soph. tom. I. pag. 407. saepe inepte hac locutione Euripidem usum esse contendit, cuius iudicii testes affert Hec. 724. Or. 107, imprimis El. 1339; longe tamen aliter de eadem re, quamquam plane iisdem versibus usus, statuit Klotzius, qui ad Iph. A. 413 nimiae Ellendtium severitatis incusat. Itaque ut ipse quid sentiam paucis profitear, etiamsi numquam poeta substantivi vim funditus enervasse putandus est, tamen nullo modo poterit negari, eum liberiorem secutum esse adhibendi rationem. Primum enim illud δέμας usitata significatione ita posuit, ut fragilitatem corporis humani et imbecillitatem indicet [ex gr. semper usurpatur de Oreste, gravi insaniae impetu afflicto; Or. 166. 218. 231. 311. 403]; tum vero mulierum virginumque potissimum teneram et venustam figuram hac circumlocutione sub oculos voluit subicere. Andr. 1278: σὸν κάλλιστον δέμας de Thetide; Hec. 368: ἐμὸν δ. de Polyxena; Or. 107: Ἑρμιόνης δ. El. 1341: δ. Ἠλέκτρας. Hipp. 138: Δάματρος δ. ἁγνόν. Iph. T. 1440: ἀδελφῆς δ. Or. 1197: παρθένου. δ. Alc. 1133: φιλτάτης γυναικὸς ὄμμα καὶ δέμας. El. 968: μητρὸς δ. cf. Hel. 383. 548. Ion. 563. Iph. A. 417. Suppl. 1053. Tro. 1022. Rhes. 969. — Neque tamen desunt loci, quibus ita

de viris regibus ponatur, ut de corporis imbecillitate nullo modo cogitari possit, velut si in Iph. A. v. 936 ipse Achilles de se dicat τοὐμὸν δέμας. cf. Hec. 724: τοῦδε δεσπότου δ. Ἀγαμέμνονος. Bach. 953: ἐλάταισιν δ' ἐμὸν κρύψω δ. (loquitur de semet ipso Pentheus.) Hel. 1092: σὸν (Menelai) ἐκσῷσαι δ. Iph. T. 106. 114. 119. Videtur igitur sensim ad omnis condicionis personas huius substantivi usus permanasse. Sed haec leviora, illud vero multo gravius, quod tantopere a trita via aberravit Euripides, ut vel de animalibus eodem circumlocutionis genere loquatur. Hel. 1562 enim ταύρειον δ. scripsit, idemque ausus est Bach. 744; adde Ion. 1203: εὔπτερον δ. de columba; frg. Sisyph. I. v. 33: τό τ' ἀστερωπὸν οὐρανοῦ δ. — De voce σχῆμα (Alc. 911: σχ. δόμων. Andr. 1: Ἀσιατίδος γῆς σχ. Hec. 619: σχ. οἴκων) vide quae eximia sagacitate docuit Pflugk. ad Hec. l. l. — χρῆμα autem, quod semel apud Sophoclem de apro legitur [frg. Meleagr. I: συὸς μέγιστον χρ. cf. Herodot. I. 36] apud Euripidem de vita legitur [χρ. τοῦ βίου. Suppl. 953]; neque non de personis usurpatur. Andr. 181: χρ. θηλειῶν. cfr. Phoen. 198; tertius qui poterat afferri locus Andr. 728: χρ. πρεσβυτῶν nunc quidem secundum meliorum librorum auctoritatem emendatus est. Cfr. Pflugk. ad Andr. 181 qui monuit, hanc periphrasin in deliciis esse recentioribus, ut Dioni Chrysostomo, Aristidi, Synesio. Cfr. Aristoph. Lysistr. 83. Nub. 2. Xen. Cyr. 2. 1. 5: σφενδονητῶν παμπολὺ χρ. — Imprimis autem ex iis circumlocutionibus, quae substantivo κάρα efficiuntur, intellegi potest, quanta cum levitate interdum Euripides fines usu constitutos migraverit. Nam quum ex Aeschyli Sophoclisque dicendi genere satis constet, amoris verecundaeque pietatis significationem huic periphrasi subiectam esse, quumque vel ipse Euripides persaepe ita locutus sit (Or. 234. 294: ὦ κασίγνητον κ. ibd. 476: Ζηνὸς ὁμόλεκτρον κ. cf. Bach. 1312. El. 1195. Heracl. 540. Hipp. 1054. 1238. Ion. 1476. Or. 682. Phoen. 612. Suppl. 162, Tro. 661.) ita tamen a semet ipso descivit, ut et de servo eandem periphrasin adhibeat (Or. 1380: τί δ' ἔστιν, Ἑλένης πρόςπολ', Ἰδαῖον κ.) nec dubitaret coniungere ἀνόσιον κ. Herc. f. 255. Cycl. 438. Or. 481. ὦ κακὸν κ. Hipp. 651.

ὦ κατάπτυστον κ. Tro. 1024. — Prodeat porro vocabulum ὄνομα, de quo Klotzius ad Iph. T. v. 877 (907) „notum hoc, inquit, genus loquendi Graecorum, ut notionem alicuius rei amplificantes ὄνομα alicuius rei dicant pro re ipsa.“ Attamen subest diversitas quaedam sensus; inest enim in circumlocutione aut gloriae et decoris notio, (Iph. T. 907: ὅπως τὸ κλεινὸν ὄνομα τῆς σωτηρίας λαβόντες ἐκ γῆς βησόμεσθα βαρβάρου = egregia salutis perpetratae laude coronati. — Hec. 380: κἀπὶ μεῖζον ἔρχεται τῆς εὐγενείας ὄνομα τοῖσιν ἀξίοις = crescit nobilitatis laus.) aut exprimitur illa, de re ipsa praeter nomen nil omnino superesse. (cfr. Pflugk. ad Hec. 435. Matthiae II. pg. 799.) cfr. Phoen. 1702: ὦ φίλτατον δῆτ᾽ ὄνομα Πολυνείκους ἐμοί, quibus verbis Antigona significat, post infaustam fratris mortem solam nominis memoriam solamen ipsi praebere. Iph. T. 663: Ἀχιλλέως ὄνομα de mortuo Pelida. Or. 1082: ὦ ποθεινὸν ὄνομ᾽ ὁμιλίας ἐμῆς, χαῖρ(ε) quibus Orestes iamiam moriturus valedicit Pyladi, cuius numquam in posterum amicitia usurus est. — De usu vocabuli σῶμα diligenter disseruit Ellendtius in lex. Soph. s. v. neque abhorrent a Sophoclis consuetudine Euripidea: Cycl. 690: σῶμ᾽ Ὀδυσσέως τόδε. Phoen. 1507: Σφιγγὸς ἀοιδοῦ σ. φονεύσας. Heracl. 91: οὐ γὰρ σῶμ᾽ ἀκήρυκτον τόδε. Addo Alc. 636. Andr. 315. Bach. 497. El. 698. 1325. Hec. 301. Herod. 529. 601. Herc. f. 909. Hipp. 250. Iph. A. 1221. Or. 1075. Tro. 958. — Deinde quae ad corporis membra animique sensus spectant breviter indicemus. Sunt autem haec potissimum: Alc. 1133: ὦ φιλτάτης γυναικὸς ὄμμα. Herc. f. 600: δὸς πατρῴοις δώμασιν σὸν ὄμμ᾽ ἰδεῖν. Ion. 1261: ὦ ταυρόμορφον ὄμμα Κηφισοῦ πατρός. — Hec. 286: ὦ φίλον γένειον ubi videndus Pflugkius. — Or. 1049: ὦ στέρν᾽ ἀδελφῆς, ὦ φίλον πρόςπτυγμ᾽ ἐμόν. — Herc. f. 435: εἰς δὲ σὰς χέρας βλέπει δώματ᾽(α) et saepe al. — Hel. 1555: ταύρειος πούς et quae sunt similia. — Heracl. 583: ἡμὴ πάροιθε καρδία σφαγήσεται. — Hec. 87: ποῦ ποτε θείαν Ἑλένου ψυχὰν ἢ Κασάνδρας ἐςίδω; — Addo Alc. 362: πρὶν εἰς φῶς σὸν καταστῆσαι βίον. cfr. Bach. 1339. — Phoen. 1533: δεῖξον, Οἰδιπόδα, σὸν αἰῶνα μέλεον. — Alc. 174: χρωτὸς

εὐειδῆ φύσιν (vid. annot. Pflugk.) — Ion. 204: τὰν πῦρ πνέουσαν ἐναίρει τρισώματον ἀλκάν. cfr. Rhes 708. — Tro. 58: πρὸς σὴν ἀφῖγμαι δύναμιν. Rhes. 821: ὦ πολιοῦχον κράτος. Quod vero frequentatum est ab Homero et Aeschylo in circumloquendo substantivum βία, id nisi semel (Phoen. 56: κλεινήν τε Πολυνείκους βίαν cfr. Klotz.) apud Euripidem non reperitur. — Accedunt, quae locis circumscribendis inserviunt vocabula βάθρον [Hel. 1652: ἐπεὶ δὲ Τροίας ἐξανεστάθη βάθρα. Iph. A. 81. 705. 1263. Phoen. 982. Suppl. 1198] πέδον [Andr. 11: ἐπεὶ τὸ Τροίας εἷλον Ἕλληνες πέδον. ibd. 58. Hel. 57. 83.] quibus adiungo Phoen. 911: ἄκουε δή νυν θεσφάτων ἐμῶν ὁδόν. Heracl. 237. — Thes. frg. 4. — Or. 1242: Δίκης σέβας. Cycl. 580: δαιμόνων ἁγνὸν σέβας. Hel. 865: φέρουσα λαμπτήρων σέλας. — Denique exquisitiores quasdam circumlocutiones adscribo: Hipp. 794: μῶν Πιτθέως τι γῆρας εἴργασται νέον; Phoen. 489: προςφέρειν πύργοισι πηκτῶν κλιμάκων προςαμβάσεις. Hipp. 646: ἄφθογγα δ' αὐταῖς συγκατοικίζειν δάκη θηρῶν. Phoen. 1064: Καδμείαν μέριμναν ὁρμήσασ' ἐπ' ἔργον. (Cf. Aesch. Suppl. 56: Τηρεΐας μήτιδος); adde οἶστρος Ἰοῦς Iph. T. 394, quod tamen incertum est propter malam librorum condicionem. Sed haec hactenus.

Satis enim, tota de figuris rhetoricis quaestione iam ad finem perducta, mihi videor probasse, quam recte supra iudicaverim, quae ornamenta apud Sophoclem incredibilem orationi et gravitatem addant et venustatem, eadem ab Euripide propria sua vi usque adeo esse privata, ut parum absint ab inani verborum sonitu. Quare non possum assentiri Bernhardyo, qui (ap. Ersch. et Grub. I. 39 pg. 135) statuit, fieri non posse, quin re accurate perpensa appareat, non infregisse Euripidem artis tragicae maiestatem. Quamquam enim multis in rebus non recedit ab admirabili Sophoclis et Aeschyli sapientia, quamquam paucis illos vel exsuperat, tamen qui primus sermonis tragici ornamenta sine iudicio adhibere coepit, is merito dicitur vulnus arti inflixisse insanabile.

Vita.

Ego, Georgius Fridericus Augustus Carolus Rieck, natus sum Strelitiae Novae, in urbe Megalopolitana, a. d. VIII. Kal. Sept. anni post Chr. n. MDCCCLI. Pater optimus, qui praeceptoris rerumque sacrarum administri munere fungebatur, summo meo cum dolore, quum vix sex annos natus essem, immatura morte exstinctus est; matrem amatissimam adhuc esse superstitem vehementer gaudeo. Fidem sequor Lutheranam. — Iam ab ineunte aetate antiquitatis studia magno amore amplexus sum. Quae quidem studia Gymnasii Carolini, quod Strelitiae Novae est, praeceptores non mediocriter adiuverunt et ut ad uberiorem artium fontem descenderem adolescentem admonuerunt. Itaque quum anno aetatis undevigesimo satis viderer profecisse, ut ad sacras Musarum sedes non sine fructu possem accedere, relicta patria Lipsiam me contuli et nomen apud facultatem philosophicam dedi; inde exacto biennio Berolinum transmigravi. Interfui scholis virorum doctissimorum: Brockhaus, Curtius, Drobisch, Fritzsche, Ritschl, Zarncke; Harms, Haupt, Hübner, Kirchhoff, Müllenhoff: quibus omnibus, optime de me

meritis gratum semper servabo animum. Examine autem pro facultate docendi aestate anni h. s. LXXIV. feliciter superato, quum per duodeviginti menses Sedini in schola Friderico-Guilelma praeceptoris munere functus essem, factum est rerum opportunitate, ut in patriam reversus inde a vigesimo quinto aetatis anno eidem Gymnasio Carolino, quod puerum aluit, pro viribus exiguis debitas dignarer referre gratias.